

facilius opprimant, qui tandem juventutem omnem, è cujus institutione plurimum emolumentum ad Jesuitas semper redundavit, in sua seminaria allecari videbantur. Huic alia accessit ratio, ob quam credebant necessarium, sui pro Religione Romana Zeli testimonium perhibere, & voti se illius, quo sedi sanctissimæ ad perpetuam obedientiam devinciuntur, memores probare. Dederant enim ansam sinistrae de se opinioni, cum adversus Pontificem, regias partes tuerentur in controversiâ de Regalibus, dudum fortasse sopita, nisi à Jesuitis alacriter nutritus & sufflaminatus ignis fuisset.

Quod si vel maximè vox divina ad reformandi opus Jesuitas vocaret, nec ipsorum consiliorum finis improbandus esset, probari tamen nullâ ratione posset reformandi ille modus, quem in Galliâ hucusque observarunt. Lutherus solâ voce, nullâ vi, nullâ fraude usus, non principum adjutus armatâ potentia, Reformationem Ecclesiæ suscepit, eoque successu perfecit, ut quoties illorum temporum acta evolvimus, mirari nemo satis queat, quod tam brevi spatio tot urbes, tot provincias, tot regiones unius hominis operâ divini Evangelii fax illustraverit. Jesuitarum Reformandi laborem non verbi divini industria prædicatio, non sanctè & inculpate vivendi exemplum exhaurit. JULIANI se Discipulos præbent, quem tamen vafri primùm artibus Christianos aggressum divina vindicta postremo prohibuit, crudelia animo

con.